



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CABINDANA** *IN ANGOLA NOVA DIOECESIS CONDITUR CABINDANAE NOMINE

Catholicae prosperitas communitatis in Angoliensi natione eiusdemque religionis firmitas eo iam pertinuisse ac Deo dante pervenisse videtur ut duodecim suo tempore conditis ibi dioecesibus alia nova convenienter addi possit, quo nempe efficacius in postera tempora consulatur crescentibus usque Christifidelium necessitatibus sacrique apostolatus opportunitatibus illis ipsis in locis. Sententiam pronis quidem auribus excepimus Venerabilium Fratrum Angolae sacrorum Antistitum maturo consilio petentium ut praesertim latissime patens archidioecesis Luandensis apte dividatur indeque nova excitetur ecclesiastica dicio. Quam ob rem certius Nos confisi inceptum hoc expediendis rationibus ac negotiis Ecclesiae Catholicae in Angola plurimum sane esse profuturum, haec singula statuimus fierique iubemus. Partem septemtrionalem ipsius Archidioecesis Luandensis, qua scilicet provincia civilis continetur nomine « Cabinda », iure seiunctam abstrahimus eamque convertimus in Dioecesim *Cabindanam* titulo publico quam simul reddimus suffraganeam Luandensi Archidioecesi. Episcopi autem sedem in urbe vulgo « Cabinda » reponi censemus, episcopalis vero magisterii cathedram in templo ibidem Deo dicato in honorem Beatissimae Mariae Virgini Mundi Reginae, quod cathedralis sacra sit aedes iustis cum iuribus. Mandamus praeterea ut ad iuris canonici normas consultorum collegium constituatur adhibeaturque. In universum deinde praecipimus ut ad amussim adserventur sacri canones de singulis rationibus ordinandae et temperandae huius novae dicionis. Has postremo Litteras Apostolicas tam in praesens quam in subsequens omne tempus ratas esse volumus ac firmas quibuslibet causis minime obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die altero mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI	DERMOT J. RYAN, ARCHIEP. DUBLINEN.
<i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	<i>S. Congr. pro Gentium Evang. Pro-Praef.</i>

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

Hyginus Quadraroli, *Protonot. Apost. s. n.*

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana